a Eſther.17. regia dignum eſt, abundans, & præcipuum *a*, ipſummet pretioſiſſimum ſanguinem Filii Dei, partibus infinitis pretioſiorem Cleopatræ, aut cujuſvis alterius poculo. Ait Berengoſius *b*, iſtud *poculum* eſſe *ex vino condito, & muſtum malorum granatorum* c, quia delectionem exigit ſanctis conditam operibus. Validum eſt hoc poculum, quod valet vox Græca κράτιϛον, quæ hic eſt. Ambroſius *d*, notat, quod abluuntur flagitia, vel delentur.

b Supra. c Cant.8.2. d in Pſ. 35.

Et hinc vero tertius elici myſticus poteſt ſenſus de ſumma veluti ebrietate, quæ calentes hoc vino ad perferendam pro Deo mortem inducit. *Hoc jam calice inebriati erant Martyres*, inquit Auguſtinus *e*, *quando ad paſſionem ineuntes, ſuos non agnoſcebant, non uxorem flentem, non filios, non parentes, & gratias agendo dicebant: Calicem ſalutaris accipiam* f. *Præclarus*, ait Bernardus *g*, *atque jucundus calix hic non minus Imperatori ſpectandi, quam militi triumphanti; Gaudium etenim Domini fortitudo noſtra* h.

e Jucundem Pſal. f Pſ.115 13. g Serm. 61. in Cant.

Expendit Beda loquendi formulam ſub admiratione, *quam præclarus eſt!* Exponit vero de imitatione paſſionis Chriſti: exemplum affert Laurentii qui tamquam dementatus iſto calice, ignisq; non ſentiens ardorem, dicebat: *Aſſatus ſum*, &c. Ambroſii *i* eadem ſententia, confirmantis teſtimonio Chriſti, qui ſuum calicem nominabat *k*. Rationem reddit quia ſicut calix lætificat, quum bibitur, ac omnis humor noxius vini calore decoquitur: ita & martyrii poculum cum hauritur omnes peccatorum fęces expurgantur, & paſſionis gloria temperantur: cordi lætitiam præſtat, calorem fidei animę puritatem. Subdit, hoc vinum eſſe expreſſum ex illa uva, quæ pro nobis ſuſpenſa eſt, exque botro, quem exploratores duo de promiſſionis terra reportaverunt *l*. *Si ſalutaris calix martyrii eſt neceſſe eſt*, inquit Origenes *m*, *ut ſalvemus calicem illum, totum illum bibentes, quia calix eſt ſalutaris: ut nihil fundamus ex eo.* Bibit ergo calicem totum, qui patitur pro teſtimonio, quidquid fuerit ei illatum: effundit autem accipiens, qui vocatus ad martyrium, denegat, ne aliquid patiatur. Huc referri lacrymarum piarum calix poteſt, de quo præſentem locum is qui meditationum libri *n* auctor eſt ſub nomine Auguſtini. Poſtulans ille gratiam lacrymarum ex dulcedine amoris divini, & commemoratione miſericordiarum Dei, *menſam* vocat, *calicemq; inebriantem*, & *præclarum*; qui ſitim ſatiet, inducatq; Spiritus inhiationem in Deum, & ardorem in amore ipſius, cum oblivione vanitatis, atque miſeriæ.

h 2. Eſd.8. 10. B. Laurentii fortitudo. i Serm.18. ſive 1 de S. Cypriano. k Mat. 26. 42. Ioan.18. 11. l Num.13. 25. m Tract.35. in Matthaum. Quomodo bibitur totus calix; quomodo effunditur. Calix lacrymarum piarum. n cap. 36.

*Quam præclarus eſt*) Putat Janſenius, *quam* eſſe pro valde. Sed obſtat אֵיךְ *ech* particula comparationis, & ὡσεὶ.

---

*Verſ. 6.*) Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

TAndem quum ſit expertus benignitatem tantam Dei in ſe, atq; miſericordiam, quæ prævenire dignatus eſt, ſibi perſuadet, ac petit etiam, numquam deſtitui eadem gratiæ ope, dum vivet: ſed ut per eam deducatur, ac perveniat ad ſalutarem finem; verſans hic interim in domo fidelium ſervorum Dei; poſt hanc verò vitam, habitans in cœleſti cum Beatis. Votum ac petitionem Apollinarius expreſſit.

Σεῖο διηνεκέως ἐλεημοσύνη με διώκει ἔλεος.

*Tua perpetuo miſericordia me perſequatur.*

*Et miſericordia tua ſubſequetur me.*) Prius monui. Hebraicè, Chaldaicè nunc, & apud Hieronymum adjici ad verſum iſtum ex præcedente: *Sed & benignitas tua*, quorum loco legebamus, *quam præclarus eſt*, nempe (calix.) Miſericordiam, ſive benignitatem, bonitatem, gratiam, ἔλεος חֶסֶד *cheſed* prævenire per fidem, ſubſequi in cuſtodia mandatorum, docet Hieronymo. Ruffinus, prevenire nolentem, ut bene velit: volentem adjuvare, ut perficiat: operantem ſubſequi, ut perſeveret. Caſſiodorus, præcedere ad miſericordiam conferendam: ſubſequi ad juſtitiam: quia ſi ſolum ſequeretur, nemo donata perciperet; ſi tantum præcederet, nullus poſſet collata ſervare, propter graves inſidias, atque tentationes. Haimo eodem fere modo præcedere miſericordiam, conferendo gratiam; ſubſequi ad hanc ſervandam & cuſtodiendam. Bruno, miſericordiam ſubſequentem; ut de bono provehamur in melius. Thomas, prævenientem, quæ inſpiret animum: ſubſequentem, quæ juvet ut efficiatur. Hugo Cardinalis, præcedentem miſericordiam, quę conferat gratiam, ſubſequentem, ne cadamus à gratia, ſed in bono perſeveremus: quod utrumq; Eccleſia petit *o Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſemper præveniat, & ſequatur; ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Auguſtinus *p*, Deum prævenire juxta illud *q*: *Miſericordia ejus præveniet me*: ut velit voluntas ſubſequi, quod hic habetur, ne fruſtra velit: & idcirco nos orare ut accipiamus *r*, ut à Deo fiat quod volumus, à quo factum eſt ut velimus. Fulgentius *ſ* docet ut mereamur gloriam, ipſam miſericordiam præveniendo incipere; ſubſequendo cuſtodire: de iſta hoc loqui Davidem loco: de alia in Pſalmo 58. *t Deus meus miſericordia ejus præveniet me*: prævenire impium, ut fiat juſtus, ſubſequi, ne fiat impius: prævenire cæcum, ut lumen quod non invenit, donet, ſubſequi videntem ut lumen quod contulit ſervet; prævenire eliſum, ut ſurgat, ſubſequi elevatum, ne cadat: prævenire donando homini bonam voluntatem, ſubſequi benevolente operando in illo boni operis facultatem: denique hoc miſericordiam Dei in homine ſubſequi, quod præveniens largitur.

o Dom. 16. poſt Penteceſt. p Enchirid. c. 32. q Pſ.58.11. r Mat.5.44. ſ 1. ad Monimum, c. 11. t v. 12.

Græci, quos compendiosè, tacitis recitare nominibus, Euthymius ſolet: per *miſericordiam ſubſequentem*: quod Græcè dicitur ἔλεος καταδιώκειν *miſericordiam perſequi*, declarant, Deum, qui errantes, ac velut fugientes inſequatur, nec deſinat, aut diſcedat, donec perquiſierit: vel Dei Filium, qui per incarnationem ſuam ſemper nos proſequatur, donec omnes comprehendat, qui ſalvandi ſunt. Poſſet hoc illuſtrari exemplo Paulo ſcribentis ſe ſequi, ut comprehendat, in quo & Comprehenſus ſit à Chriſto Jeſu *u* Prior dicendi modus eſt Theodoreti, Baſilii, Didymi, Chriſoſtomi, Euſebii, Maximi *x* Confeſſoris.

u Phil.3.12. x Cent.3. n. 2.

Et quidem ita videntur hi loqui, ac ſolent, qui de gratia præveniente: nam exponunt Baſilius atq; Theodoretus, Deum non expectare noſtras preces, ſed veluti fugientes perſequi prævenire, ſalutem impertiri: Didymus & Euſebius de gratiæ neceſſitate in genere ad ſalutem. Chryſoſtomus, de ea, qua quotidie Pagani ad Eccleſiam reducuntur, Judæi convertuntur, Hæretici corriguntur, peccatores indulgentiam conſequuntur. Origines complectitur modum utrumque, & ait, quòd Chriſtus, *qui factus eſt nobis à Deo juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio y* ſeque ipſe *viam, veritatem, vitam* nominavit *z*, & animata miſericordia dici poteſt, perſequitur omnes. Sed nimis fugientes non apprehendit parcè fugientes capit, & ad Eccleſiam adducit. Hoc abſque cautione non admiſero, quia plurimum fugientes non rarò aſſequitur, & penitus rebelles ad ſe potentia gratiæ compellit voluntates fortiter quidem, ſed ſimul ſuaviter, ſalva libertate. Nimis fugientes, quia conſentire nolunt, nec efficacem gratiam iis præbere vult, non apprehendit. At quos capit, non parcè ſemper parumve fugiebant: tanta namq; gratiæ efficacia eſt, ut eam nullus, quamlibet obluctetur, effugiat. Talis Paulus *a*, & ſimiles.

y 1.Cor.1.30. z Ioan.14.6. Origenis verba non admiſſa. a Act. 9.4. & ſeq.

Genebrardus diverſum à ſuperioribus attingit ſenſum, enumerata hactenus beneficia eo ſpectare, ut ſe David exerceat quotidie in timore, & cultus Domini: quaſi videlicet votum ſuum exponat, ſeſe in miſericordiæ præſertim operibus exercendi, ut tantæ reſpondeat adverſus ſe miſericordiæ divinæ. Ita quoq; Hebræos Eugubinus refert ſenſiſſe, quamvis merito mavult nos Dei: non vatis intelligere miſericordiam.

Agelli expoſitio eſt optare, ac præcidere gratiam, clementiam, miſericordiam Dei pro ſuorum ratione factorum ſibi reddendam, ac rependendam à Deo: ſicut & ſequi ſolet pœna, malefacta, atque pro eorum ratione reddi: Hanc notionem verbi *ſubſequendi* pro retribuere; ac rependere, confirmat ex Proverbiis *b*: *Peccatores perſequitur malum: & juſtis retribuentur bona.* Ubi priore membro eſt καταδιώξεται.

b c. 13. 21.

Placet magis expoſitio de gratiæ ac protectionis divinæ auxilio, quod David & optet & prædicat affuturum per vitam totam. Hoc pacto, ut nempe tota includitur vita præſens, ita ut etiam ad beatam perveniatur, gratia ſubſequens perſeverantiæ donum ſignificabit. Alioquin ea diſtinctio *in gratiam prævenientem, & ſubſequentem*, in ſcholis recepta eſt; quamvis non eodem ab omnibus modo intellecta, ſicut & quid valeat *operans, adjuvans, cooperans, concomitans*, Maximè propriè loquendo, ut Auguſtinus, aliique Patres, & Concilia, melioreſque Theologi ſæpius loqui ſolent, *præveniens auxilium gratiæ*, (omiſſa habituali, quæ comparata ad ſuos actus poſſet appellari præveniens, fierique dicitur in nobis ſine nobis, quia ſolus Deus illam infudit) ſeù excitans, & operans, eſt unde ſumit exordium juſtificatio: quod cum Davide Concilium *a* Arauſicanum ſecundum ait eſſe anticipare nos miſericordias Dei *b*, & Dei miſericordiam nos prævenire *c*.

Gratia præveniens, ſubſequens adjuvans, cooperans, concomitans, quid? a Cant. 14 b Pſ.78 8 c Pſ. 58. 11.

Extendi debet ad opus quoque bonum, quod jam juſtus faciat, præventus in eo ipſo opere per auxilium excitantis Dei. Utrovis autem pacto id fiat, cenſetur Deus *agere in nobis, ſine nobis*, quemadmodum ſcribit Gregorius *d*, quia paſſivè nos tantùm habemus: ideſt abſque actu libero, licèt vitialiter moveamur, & agamus ipſi. Quum vero liberè conſentimus, denominatur *auxilium* per quod id facimus, *gratia cooperantis*, adjuvantis, concomitantis, atque ſubſequentis.

d 15. Moral. c. 10 vel 11

Aliquando quidquid antecedit juſtificationem, comprehenditur nomine gratiæ operantis ac prævenientis, *& ſine nobis fieri* dicitur, non quia ſine concurſu liberi arbitrii, qui requiritur in adulto juſtificando, ſed quoniam adhuc non eſt omnino verum ullum & abſolutum meritum, antequam quis juſtificatus ſit: poſtea, quando jam juſtus propriè meretur, auxilium, in tali opere cooperans, adjuvans, ſubſequens, concomitans nominatur. Quamquam interdum videatur ſic appellari dumtaxat illud auxilium, quod juſto datur, ut impleat legem toto tempore vitæ. In iſto ultimo ſenſu gratiæ ſubſequentis auxilium Auguſtinus etiam uſurpavit, (ut ſit nimirum idem cum cooperante ad dictum item modum accepto) tum in citato loco, tum in aliis ſæpè, in quibus de præſenti loco mentionem facit: nam ſecundùm aliam acceptionem etiam veram propriamque, *ſubſequens auxilium* tam latè patet, quam *cooperans*, ut paullo antè dixi, per cooperationem *e* ad illud, quod non præceſſit, non quomodolibet (ſic enim omnis poſterior prioris gratiæ reſpectu ſubſequens eſt) ſed ita, ut ſolùm excitaret; ac præveniret. Ad hunc modum ſcripſit Gregorius *f*; *Nos prævenit, ut velimus, & volentes ſubſequitur, ne inaniter velimus.*

e Cont. duas Ep. Pelag. c 9. de Nat. & Gra. c. 32. 4. Cont. Jul. Epiſt. 105. f Hom. 9. in Ezech.

Præter commemoratam priùs Eccleſiæ collectam: *Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſemper præveniat, & ſequatur: ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos*, alia ſimilis eſt: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.*

Quum ergo hortatur nos David *præoccupare faciem Dei in confeſſione*: *g* pollicetur fore, ut mane oratio ipſius præveniat Deum *h*: teſtatur, quod prævenit *in maturitate*, & clamavit *i*: quòd *prævenerunt oculi* ejus ad eum *diluculo*, non ſignificat poſſe præveniri omnem gratiam Dei, ac inſpirationem, ſed aliquam ſubſequentem, exempli cauſa illam, quæ neceſſaria ſit ad bene operandum, ad vincendas tentationes, &c. nam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur; poſtulante ſpiritu pro nobis *k*, & invenitur Deus à non quærentibus, apparet hisqui non interrogabant *l*, ut annotat Auguſtinus *m*: & Arauſicanum concilium definit *n*. Legendus quoque Fulgentius *o* doctè, ac eleganter de hac re diſſerens: præterea Bernardus *p*, expendens cur Sponſa dicat *q*; *Dilectus meus mihi, & ego illi*, non autem ego dilecto meo, & dilectus meus mihi: & Pſalmorum tractans locos, iſtum noſtrum, & alium ex Pſ. 58. *r* de quo diximus, *Deus meus miſericordia ejus præveniet me*: & ex ſeptuageſimo octavo *ſ*: *Citò anticipient nos miſericordiæ tuæ* t, & Pauli, *Quis prior dedit illi*: & Joannis *u*: *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Addit, nihilominus eodem libro Cantici *x*, poſtea ſponſam dicere: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, conſummationem illi æquè concedendo gratiamque ſubſequentem; quum ante gratiam primam agnoviſſet, & qua præventa fuerat.

g Pſ. 94. 2. h Pſ.87. 14. i Pſ.118.147 ibid.148. k Rom.8.26. l Iſa. 65.1. Rom 10.20. m Ep. 105. n Cant. 3. o 1. ad Monimum, c.7. 11. Locus Cantici expenſus à Bernardo. p Ser. 68. in Cant. q Can.2.16. r v. 11. ſ v. 8. t Rom 11.35 u 1. Joa.4.10 x c. 1.2. c.7. 10.

*Et ut inhabitem in domo Domini.*] Nec Hebraicè, nec Græcè habetur, *ut*, ſed tantum, *&* Auguſtinus verò, Pſalterium Romanum, & præterea Hieronymus, Theodoretus, aliique in Commentariis legunt dumtaxat, *ut*: in propria verò editione idem Hieronymus reddit, *& habitabo*. Et quidem clarior lectio eſſet altero ex his modo: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini*, vel: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, & inhabitabo*. Primo modo eſſet precatio; ſecundo, prædictio, ſeu fiduciæ declaratio. Juxta verſionem noſtram ſupplendum erit verbum *ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ*, hoc eſt, dum vivo, ut benè vivam. *Et ſubſequetur me*, ſcilicet poſt hanc vitam, *ut inhabitem in domo in longitudinem dierum*, nimirum, ut in æternum vivam. Auguſtinus in Commentario quum addit, *etiam*, innuit illud, *&*, quod non legerat in textu.

*Inhabitem.*] Hebræum verbum שַׁבְתִּי *ſchauti* temporis præteriti pro futuro ſignificat *redibo*, vel *ut redeam*. Genebrardus vult per aphæreſin poeticam poni pro יָשַׁבְתִּי *jaſchauthi*. Fortaſſis legerunt Lxx. hoc ſecundo modo, & excidit poſtea littera י *jod*. Symmachus pro τὸ κατοικεῖν habet ἡ κατοίκησις, *habitatio*, videlicet (ſit, vel, erit.)

*In domo Domini.*] Chald. *In domo ſanctuarii Domini* בְּבֵית מַקְדְּשָׁא דַּיְיָ *beveth mukdeſcha da jehovah*. Atq; fortaſſis ad litteram, optabat David habitare, ac immorari prope tabernaculum, ac frequentare locum illum ſanctum. Nam hoc unum expetiviſſe, ſe ac requiſiviſſe, teſtatur, à Domino, ut *inhabitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ* y. Elegiſſe quoque *abjectum eſſe in domo Dei ſui magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum z*: ibi habitaturum, quoniam elegerit *a*. *Habitare* uſurpat pro eo quod eſt crebrò venditare; atque aſſiduò verſari.

y Pſ. 26. 4. Habitare, pro cerebro vendicare atque aſſiduò verſari z Pſ. 83.11. a Pſ.131.14.

Intelligunt paſſim expoſitores de deſiderio cœleſtis patriæ, quæ juſtos poſt reditum Chriſti in cœlum exceptura erat, vocaturque *domus non manufacta* b. Nonnulli de Eccleſia iſta, quam Paulus *c* appellat *domum Dei*. Chryſoſt. de corde noſtro, in quo habitat Deus, & nos cum Deo intra nos, ſi juſti ſumus: quo etiam pacto de nobis loquitur idem Apoſtolus *d*.

b 2. Cor.5.1 c 1. Tim.3.15 d Hebr. 3.6.

*In longitudinem dierum.*) Hæc dierum longitudo favet communiori expoſitioni de domo æternæ beatitudinis: nam qui noctibus dies interpellantur, ac interpolantur, longitudinis nomine minùs digni ſunt, quales vitæ noſtræ dies, quos breves Job *e* appellat. Sed conſule quæ dixi Pſalmo vigeſimo *f*.

e c. 14. 5. f v. 5. g Cent. n. 2.

Maximus *g* Confeſſor ait, quòd hoc loco ut *domus Domini*, regni cœleſtis gerit imaginem, in qua omnes Sancti conquieſcent, ita *longitudo dierum* vitæ æternæ typum exprimit. Teſtis Euſebius vertiſſe Symmachum, *in longum tempus*.

Subtiliter pièque Hugo Cardinalis toto hoc Pſalmo decem notavit peregrinati neceſſaria: Loci, per quem tranſitur, felicitatem, *In loco paſcuæ*: Amœnitatem fluviorum fontiumve, *Super aquam refectionis*: Alacrem iter faciendi voluntatem, *Animam meam convertit*: Viæ compendium, *Per ſemitas juſtitiæ*: Ejuſdem ſecuritatem, *Non timebo mala*: Laboris veluti ſuſtentaculum: *Virga tua, & baculus tuus*: Ibi recreationem, *Paraſti in conſpectu ejus menſam*: Hilaritatem mentis: *Impinguaſti in oleo caput meum*: Boni potationem vini, malorum oblivionem, *Calix meus inebrians*: Indefeſſas continuati vires itineris, *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Apud Galatinum *h* reperies Hebræorum expoſitionem, qua jam inde à verſu quarto interpretantur, animas Electorum non potuiſſe liberari ab inferno, hoc eſt, limbo; niſi à Meſſia Deo & homine.

Decem peregrinanti, neceſſaria hoc Pſalmo notata. h l.6. c.10.

# PSALMUS VIGESIMUS TERTIUS.

1 Prima ſabbati, Pſalmus David.
2 DOmini eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.
3 Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum.
4 Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?
5 Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.
6 Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.
7 Hæc eſt generatio quærentium eum; quærentium faciem Dei Jacob.
8 Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.
9 Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.
10 Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.
11 Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

---

### TITULUS.

*Verſ.* 1.) Prima Sabbati, Pſalmus David.

*Pſalmi alii titulo huic ſimiles.*

TItulum iſti ſimilem habent alii Pſalmi, ut notat Bonaventura, nempe quadrageſimus ſeptimus, ſecundam Sabbati; octogeſimus, quinta XCI. diem Sabbati; XCII. diem ante Sabbatum: nonageſimus tertius, quartam Sabbati. Sed in octogeſimo deeſt nomen quintæ Sabbati in emendatis: in editione Hebræa ſolus nonageſimus primus exprimit diem Sabbati. In hoc autem Pſalmo pro *Prima Sabbati*, Græcè legitur ordine inverſo, *Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ τῆς μιᾶς σαββάτου*, Vel, juxta codices alios, *τῶ σαββάτων*. Monent Baſilius ac Theodoretus, tum hic tum in hexaplis hoc omnino deſiderari. At non idcirco confodi debet obeliſco, ut præcipit Eugubinus, nec ejus parva haberi ratio, ut Janſenius. Præter dictos verò Pſalmos in trigeſimo ſeptimo ponitur Sabbatum. Nota verò ſatis phraſis, ut dicatur *una*, pro, prima; & *Sabbata* numero plurali pro Sabbato, & *Sabbatum* pro hebdomada tota. Sic apud Joannem *a unam Sabbati*; & *unam Sabbatorum* legimus, Denominabant Hebræi dies hebdomadæ à Sabbato propter dignitatem ipſius, ut Hieronymus *b* docet, noſque alibi *c*. Perinde quoque docuimus aliàs eſſe, ſive præponatur, ſive poſtponatur Davidis nomen, quia Spiritus S. ſemper infuſio præcedebat, & comitabatur Scriptorem ſacri Pſalmi.

*Lectionum varietas Titulus in Græco ordine inverſus.*

*Phraſes Scripturæ. a c. 20. 1. 19. Dies hebdomadæ à Sabbato ab Hebræis denominati. b Ep. 105. q. 4. c Act. 13. 14 c. 16. 13. c. 1 22.*

Ceterum mentio dierum, denotat iis diebus certos Pſalmos, qui gerant illos in titulis, decantari ſolitos, nam de Davide Auctor *d*, Eccleſiaſtici ſcripſit conſtituiſſe cantores dediſſe in celebrationibus (*ἐν ἑορταῖς feſtis*) decus, & ordinaviſſe tempora: quod ultimum quidam accipiunt, quia juſſerat ſtatos ſtatis diebus cani Pſalmos: ut id alii poſtea inſtituerunt. In Paralipomenis *e* univerſè traditur imperatum Levitis à

*d c. 47. 12. Ordinatio temporum captorum, circa Pſalmorum cantum. e l. 1. c. 23. 30. 31.*

A Davide ut canerent manè, & ad veſperam, nec non in Sabbatis, & calendis, & ſolennitatibus reliquis juxta numerum, & ceremonias uniuſcujuſque rei. Id Abulenſis *f* eo loco indicat. Nicolaus autem Trevetus in Commentario Pſalmi præſentis meminit, Hebræos ipſos recitare ſolitos Pſalmum iſtum prima Sabbati: eaque de cauſſa quoſdam hoc in titulo exprimere voluiſſe: quamvis modo hoc non obſervent Judæi. Nyſſenus *g* diſputans de titulis, obſervat Judæos ex Pſalmo XCII. & XCIII. removiſſe, quòd nimis apertè pugnent contra ipſos; qua de re ſuo tempore. Athanaſius Marcellino ſcribit, ſi pſallere velit, Sabbato habere Pſalmum nonageſimum primum: *Bonum eſt confiteri Domino*: Si gratias agere Dominico die, vigeſimum tertium: *Dixit inſipiens*: ſi canere ſecunda Sabbati, nonageſimum quartum: *Venite exultemus*. Si modulari die paraſceves, nonageſimum ſecundum: *Dominus regnavit, decorem indutus eſt*. Verùm nec in XCIV. titulus tale quid præ ſe fert, nec is, qui incipit: *Dixit inſipiens*, eſt XXIII. Euſebius in Pſalmum B XCIII. ait *Sabbatum* ſumi etiam poſſe pro menſe, quartam Sabbati pro quarto menſe. Nicephorus in iſto noſtri Pſalmi titulo legit præterea, *in finem*. Nullus (quod ſciam) alius.

*f Qu. 32. Hujus Pſalmi ab Hebræis recitatio prima Sabbati. g Tr. in Pſ. 2 c. 8. Judæi ex Pſalmo 92. & 93. cur titulos removerint. Pſalmi ab Athanaſio cantari juſſi*

*Sabbatum pro menſe; quarta Sabbati, pro quarto menſe.*

---

### DE ARGUMEMTO.

QUod ad argumentum ſpectat, aliqui putant, ut Lyranus annotat, deſcribi generale dominium Dei ſuper omnem creaturam, Refert autem Rab. Salomonem dicentem, quum inferretur arca in templum, templi portas ſponte clauſas fuiſse, nec antè apertas, quàm Sacerdotes canerent Pſalmum CXXI. *Memento Domine David*, ubi autem pervenerunt ad ea verba: *Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui* (ideſt, Salomonis) portas reſeratas ultro: hujuſque re vaticinium Pſalmo iſto contineri: & primum C exponi quo culto colendus in templo Deus: deinde, quo pacto ſit arca in templum illata. Burgenſis meritò refellit; quòd rem tanti momenti Scriptura non reticuiſset: quia arca, quæ quid creatum eſt, non diceretur *Dominus fortis, potens virtutum, Rex gloriæ*: & quamvis in arca ſedere dicatur Deus, non ipſa tamen vocatur Deus. Haud abſimilis opinio pronuntiatum Pſalmum, quando David in Sancta Sanctorum arcam intulit, oblato in monte Moria holocauſto *h*.

*De arca in templum illata, a Rabbi Salomone ſcripta.*

*A Burgenſi refutata.*

Trevetus aſſerit commendari favorem Dei omnium rerum Domini (cui velut venienti applauditur) erga eos, qui bene ac innocenter vivant, ut ſcilicet permittat habitare in terra, quam ad ſuum cultum ſpecialiter elegis. Idem Burgenſis exiſtimat pertinere ad ingreſsum Chriſti in Jeruſalem, in die qui appellatur à nobis *in ramis palmarum*, ac propterea Eccleſiam, verſum illum, *Attollite portas*, &c. ſolemniter eo die cantare. Accedit quod tunc ingreſso Chriſto commota eſt univerſa civitas, dicens: *Quis eſt hic i*? Ad hoc Origenes D *k* applicat Pſalmi hujus verba: *Quis eſt iſte Rex gloriæ l*, &c. Matthias Thoringus replicat, quia illum ingreſſum Chriſti colentes non fuerunt ſic diſpoſiti, ſicut hic deſcribuntur, nempe *innocentes manibus*, &c. non etiam congruit, quod de portis attollendis dicitur: neque interrogationes: *Quis eſt iſte Rex gloriæ*, &c. quum fuerit ingreſsus humilis Chriſti atque manſueti *m*.

*h 1. Par. 15. per totum. Treveti & Burgenſis ſententia.*

*i Mat. 21. 10. k Tract. 15 in Matt. l v. 8. 10. Impugnatio.*

Athanaſius vult, ſub typo populi adducendi in Babylonem, quem David prævidens eam captivitatem, conſoletur quòd ubique ſit Deus, ac inveniatur omnium Dominus ab iis, qui piè atque ex virtute vivant; tractare de Chriſti aſcenſu, & Gentium doctrina, ſcilicet qua ratione cœleſti domicilio dignatæ ſint.

*m Zach. 9. 9 Mat. 21. 5. & alibi. Athanaſii ſententia.*

Communior Græcorum Latinorumque ſententia Patrum eſt, quibus Nyſsenum adde, Oratione de Aſcenſione breviter excurrentem per totum Pſalmum, ut de Domini poteſtate, quum deſcendit ad inferos, reſurrexit, aſcendit in cœlum, Pſalmus ſit, inſerta men-tio-



tione de conditionibus neceſſariis, ut ejuſdem participes A beatitudinis efficiamur. Favet in Titulo *prima Sabbati*, hoc eſt, dies Dominica qua Chriſtus reſurrexit.

*Janſenius refutatus.*

Non jure Janſonius hoc rejicit: nam etſi nominatim reſurrectio hic non ponatur, tamen ſatis deſcribitur, per plenam poteſtatem, quam ſibi tunc dixit datam *a* Chriſtus. Paullò coactius eſt, quòd idem *Sabbatum* ſumens pro requie æternæ vitæ, quod Iſaias *b* appellet *Sabbatum ex Sabbato*, hoc eſt, requiem continuam, interpretantur primam Sabbati diem aſcenſionis Chriſti, quoniam eo die primum introitum in civitatem ſupernam humana natura ſortita eſt. Confirmat Cajetanus de Chriſto Pſalmum loqui, quoniam Paulus primis utitur, ut probet ceſſaviſſe obligationem legis circa ciborum delectum *c*, licereque veſci omnibus, quæ veneant in macello *d*. Athanaſius ad Marcellinum res libri Geneſis contineri Pſalmo iſto dicit; & aſcenſionem in cœlos Chriſti.

*a Mat. ult. 18. b Iſa. ult 23*

*Paulus primis Pſalmi hujus verbis uſus, ad quid. c Lev. 11. 4 & ſeq. Deut. 14. 4. & ſeq. d 1. Cor. 10. 26.*

---

*Verſ.* 2.] Domini eſt terra, & plenitudo ejus; orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.

*Res libri Geneſis hoc Pſalmo contentæ, & aſcenſio Chriſti in cœlos. e 1. Cor. 10. 26.*

PLana ſententia, litteraliterque ſumenda, quum, ut modò dixi, Paulus *e* eam protulerit, ut probaret, Chriſtiano nullam fugiendam creaturam, tamquam immundam, vel mali opus Dei. Simul indicatur latè patens, nec in anguſtiis Palæſtinæ, vera religio, ditioque Chriſti per orbem univerſum: Deum non Judæorum dumtaxat curam gerere, ab iiſve ſolis coli, ſed ab aliis, utpote Dominum omnium. Ita ferè noſtri omnes, qui argumentantur hinc etiam pro Deitate Chriſti, cui cuncta tradita à Patre *f*, tum verò Athanaſ. ſermone quo verbo illa tractat. Galatinus *g* ex Midras Thehillim in expoſitione hujus loci idem probat, confeſſione ipſorummet Hebræorum, quòd nempe Meſſias ſit Deus. Hoc eodem ex loco Clemens Alexandrinus *h*, adverſus Idola facit argumentum; quæ quum ſint inanimata, iis tamen veſani homines quæ veri Dei ſunt, adſcribebant. Minora Deos negligere, neque agellos ſingulorum, nec viticulas perſequi, Epicurus aſſerebat *i*.

*Pro Dietate Chriſti argumentationes. f Mat. 11. 27. Joa. 13. & 17. g l. 3. c. 6.*

*h In Paraneſi.*

*i Cic. 3. de Nat. Deo.*

Habet Deus hanc, velut prædium, terram, quod prædium prævidet, eique providet; non *circa* tantùm *cardines cœli perambulat* k: *Rex eſt magnus ſuper omnem terram* l, *& omnis terræ* m. *In ditione ejus cuncta poſita*, quia fecit *cælum, & terram, & quidquid cœli ambitu continetur* n.

*k Job 22. 14. l Pſ. 46. 2. m ibid. v. 8. n Eſth. 13. 9 10.*

Smili Deus ipſe ſententia loquens inducitur, ne quis eum loco ullo, quamlibet ſacro & auguſto, contineri ſuſpicetur, neve victimis egere, quę ipſi offeruntur *o*. *Si eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus: meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus & boves*. Tandem videtur David, iſto ſequentique verſu ponere velle Dominum hominum omnium Deum eſſe, ne quum dicturus ſit paucos admodum cum Chriſto, ſi cum tam multis comparentur aliis, in domum illam cœleſtem, atque beatitudinem intraturos, quiſquam opinetur ceteros non ad Deum pertinere, ſed ab aliquo alio creatos principio, ſicut poſtea Marcionitæ Manichæique ſenſerunt.

*o Pſ. 49. 10.*

*Marcionitarum & Manichæorum error. p Tract. 6 in Joa.*

Verumtamen hoc abſolutum & independens Dei dominium, non magis præjudicat vero, propriéque dicto, quod in hominibus eſt, dominio, quàm veræ ac propriæ cauſalitatis ratio creaturis, quòd ſi Deus univerſalis, primaque Cauſa. De hoc aliàs: & legendi Auguſtinus *p*, Chryſoſtomus *q*, Thomas *r*. Jure humano ſcribit Auguſtinus poſſidere quemque quod poſſidet, quia jure divino, *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*.

*q Hom 2. 34. 37. ad populum. Jure humano poſſidet quiſque quod poſſidet. r 2. 2. q 66. art. 2. ad. 1.*

Aliud infert accommodatitio ſenſu Concilium Tridentinum *ſ*, vendi terram ad ſepulturam non debere, quia hominis non eſt, ſed Domini. Atqui quodam alio Pſalmo *t* terram dediſſe filiis hominum Deus dicitur, videlicet non abdicato à ſe abſoluto dominio, quod nec poteſt abdicare. Similis illatio Chryſoſtomi *u*, recitaturque XIII. Quæſt. 11. c. *Ubicumque*. Ubicumque ſepeliamur, Domini terram eſſe. Innocentius III. ſcribens Vercellenſi Epiſcopo, quod eſt etiam in Titulo de Decimis C. *Tua nobis*, argumentatur Deo decimas perſolvendas in ſignum univerſalis dominii ſine deductione ſeminis, & ſumptuum, quia Dei eſt

*Terra ad ſepulturam vendi cur non debet. ſ c. 6. & refertur XIII. Quæſt. 2. c. in Eccleſiaſt. t Pſ. 113. 16. u Hom. 26. in Ep. ad Heb.*

*Decimæ deo perſolvendæ.*



A terra, &c. nec debet hac in re deterioris conditionis eſſe, quam Dominus temporalis, cui quod ſolvendum ſtatuit de terris, quas exhibet excolendas, ſolvitur abſque hac deductione. In iſtius argumentum dominii Deus initio poſuit hominem in paradiſo *x*, ut operaretur, & cuſtodiret illum, nempe tamquam colonum, & ſibi veluti reſervavit lignum ſcientiæ boni & mali, vetans fructum decerpi *y*.

*x Gen. 2. 8. 15.*

*y Ibid. 16.*

*Domini eſt terra.*] Hieron. *Domino terra*: Sed ut alias monui, articulus ל *le*, ſervit Genitivo Dativoque caſui. Poteſt Dativus tamen indicare non ſolùm dominio terram Dei eſſe, ſed etiam poſſeſſione, ac illam, omniaque ſervire ipſi *z*.

*z Pſ. 118. 91.*

*Et plenitudo ejus,*] Καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. ומלואה *umeloah*. Sic terræ crebrò jungitur plenitudo *a*, vel mari *b*, quod dicitur etiam *magnum*, & *ſpatioſum manibus* c: vel orbi terrarum *d*. Significat propriè *plenitudo* hæc rerum copiam, quibus terra, vel mare quodammodo replentur, ut non ſunt inania vacuaque elementa, ſed terra plantis, animalibus, mixtis aliis: B mare piſcibus præter alia mixta ſit plenum. Interpretatur Apollinarius *κόσμον ornatum*, quo pacto in Geneſi *e* dicuntur *perfecti cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*.

*a Deut. 33. 16. Pſ 49. 12. Iſ. 34. 1. Jer 8. 16. c. 47. 2. Ez. 19. 7. c. 30. 12. Mich. 1. 2. b 1. Par. 16. 32. Pſ. 95: 11. Pſ. 79. 7. Iſa. 42. 10. c pſ. 103. 25. d Pſ. 88. 12. e Gen. 2. 1.*

Quocirca in benedictione Joſeph frugibus terræ adjungitur plenitudo ejuſdem *f*: apud Ezechielem *g*, deſeri terram à plenitudine ſua, Deo percutiente habitatores terræ, eſt hominibus deſtitui, ac veluti vacuari, propter quod videlicet potiſſimùm terra facta eſt. Unde quodam Pſalmo *h*, poſt provocatum mare, ut commoveretur cum plenitudine ſua, orbis terrarum additur & qui habitant in eo. Iſaias *i* item invitat ad cantandum qui deſcendunt in mare, & plenitudinem ejus, (ideſt, navigantes & piſces) inſulas & habitatores eatum. Jeremias *k* ſcribit devoratam *terram, & plenitudinem ejus; urbem; & habitatores ejus*. Michæas *l* jubet audire populos, attendere terram, & plenitudinem ejus, quos ibi LXX. *πάντας τοὺς ἐν αὐτῇ*, vocant *omnes qui ſunt in ea*. In Amos *m* quod legitur Latinè: *Tradam civitatem cum habitatoribus ejus*: Hebraicè C eſt, *Civitatem, & plenitudinem ejus*.

*f Deut. 33. 16. g c. 32. 15. Ezechielis locus expoſitus. h Pſ. 95. 11. i c. 42. 10.*

*k c. 8. 16. c. 47. 2.*

*l c 1. 2.*

*m c. 6. 8.*

Aliquando idem valet *plenitudo*, quod latitudo, & amptitudo: ut quum Deus canitur orbem terræ, & plenitudinem ejus fundaſſe *n*. Prior acceptio magis convenit, & ſynonyma ſunt terra cùm plenitudine ejus, orbis terrarum cum habitantibus in eo. Chaldaicè poſt *terram* adduntur *creaturæ* ejus בריתתא *biriathaha*.

*plenitudo pro latitudine & amplitudine. n Pſ. 88. 12.*

Allegoricè, ut ſolet, Origenes ait ante Chriſti adventum non potuiſſe reperiri plenitudinem in terra; ſed poſtea licuiſſe multis dicere: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* o: Huc aptari quoque poſſet illud, quod *in plenitudine ſanctorum*. Sapientia detentionem habeat *p*. Quo modo autem etiam Maria myſticè *terra* ſit, docet Hugo Card. proprietates terræ oſtendens in ea, quas neſcio quis complexus eſt diſticho.

*Ante adventum Chriſti plenitudo in terra dici non potuit. o Joa. 1. 16.*

*p Eccl. 14. 16. Maria terra ut ſit.*

*Nigra, rotunda, capax, medians, circumdata, fœta,*
*Integra, ſtans, humilis, cibat omnia, continet aurum.*

Denique Pſalmum totum de eadem, ut de Eccleſia, & de cujuſque juſti anima declarat.

*De eadem totus Pſalmus.*

*Orbis terrarum.*) Terra habitabilis quæ hic propriè ἡ D οἰκουμένη, & תבל *thebel*, de quibus vocibus alibi. Ambroſius *q* dicit, *οἰκουμένην* vocari, eò quòd inhabitetur à Chriſto ut impleat quæ vacua videbantur: Latinè *orbem terræ*, eo quòd vita ſanctorum, ſicut rota in orbem ſine ulla curſus ſui offenſione volvatur. Hoc jam notavimus Pſalmo decimo octavo *r*.

*q in Pſ. 48.*

*Orbis terræ, cur dicatur. r v. 5.*

*Univerſi qui habitant in eo.*) Synonymum hoc eſt cum *orbe terrarum*, terrave habitabili: etſi habitabilis poteſt actu non habitari. Deeſt Hebraicè, *univerſi*: animas omnes ſuas eſſe dixit Deus *ſ*: quod etſi de integris hominibus intelligitur, vis tamen ineſt in *animarum* vocabulo, quarum effector ſolus Deus: & nobiliores ſunt, quàm corpora: nequeunt occidi, ſicut illa *t*. Chryſoſtomus *u* piè monet, ut nunc maximè poſtquam Chriſtus extulit in cœlum terram carnis noſtræ, reſpondeamus Diabolo ſollicitanti ad fornicandum, *Dominici altaris non ero proditor diabole, Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus*. Idem lego apud Epiphanium.

*ſ Ezec. 18. 4. Animarum effector ſolus Deus.*

*t Matt. 10. 28. u Ser. 8. de Aſcenſione. x Orat. de Aſcen.*

*Verſ. 3.)* Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum.

RAtio, cur Dominus terræ, omniumque in ea rerum, & habitatorum, ſit Deus, quoniam terram ipſe fecit, & ſupereminere aquis fecit, ut habitari poſſet, ac generationibus idonea rerum eſſet. Ex eadem terra facti ſunt *a* homines, in illa vivunt, in eamdem revertentur *b*. Idcirco terræ Dominus Deus, quum fecerit ipſam: Dominus omnium hominum, quum non ut Domini omnino abſoluti eam inhabitent, ſed tamquam colonos Deus illos conſtituerit ut excolant.

a *Gen.* 2. 7. b *infrà* 3. 19. Homines non ut terræ Domini, ſed tamquam coloni à Deo conſtituti eam inhabitant.

Triplicem hujus loci ſenſum Trevetus affert, ad quos facilè revocantur omnium expoſitiones. Primus eſt, quem Auguſt. multique ſectantur, quòd juxta præceptum Domini *c*, congregatæ ſunt in locum unum aquæ, ut commoda foret omnibus habitatio, & diſcoperta aquis, (quæ naturaliter operire debebant, vel ut leviores) apta ad generandum terra redderetur. Poſuit ergo Deus terminum aquis, *quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram* d: *legem poſuit ne tranſirent fines ſuos* e: *certa lege, & gyro vallavit abyſſos* f; *& arenam terminum mari* g: *circundedit terminos, poſuit vectem, & oſtia, & dixit: Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* h. Idem confirmatur verbis Pſalmi CXXXV. *i*. *Qui firmavit terram ſuper aquis*. Eodem refertur quod Caſſiodorus Lyranus, alii dicunt, *Super maria & flumina*, ſignificare juxta, ut Pſalmo CXXXVI. *k*, *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus*.

Triplex hujus loci ſenſus. c *Gen.* 1. 9. d *Pſ.* 103. 9. e *Prov.* 9. 29. f *ibid.* 27. g *Jer.* 5. 22. h *Job.* 38. 10. 11. i *v.* 6. k *v.* 1.

Secundus, ut denotetur ſtabilitas ac firmitas terræ quaſi fundare illam ac præparare, ideſt, ſtabilire ac firmare, ſuper maria, & flumina, ſit pluſquam hæc reddere firmam ſtabilemque terram: nam cui motu primi mobilis inferiores orbes moveantur, nec non ſphæræ, Ignis, Aeris, Aquæ, Terra ſtat immobilis *l*.

l *Eccl.* 1. 14.

Tertius, ut intelligatur, egere terram ad firmam quamdam compactionem, permixtione aquæ, ſine qua in pulveres redigeretur, quemadmodum abſque ſanguinis per venas ſparſi humore, corpus exareſceret, ac diſſolveretur.

Ultimus placet ſenſus Auctori Quæſtionum utriuſque Teſtamenti apud Auguſtinum *m*, qui Auctor Pſalmum integrum declarat; præterea Theodoreto, Baſilio, Euſebio, Euthymio. Hic refert ex Chryſoſtomo toti terræ aquam ſubjacere: ſed ait id de parte ſolùm aquarum intelligi debere. Hunc innuit Job *n* dicendi modum, de beneficio loquens pluviæ, *quando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur*. Eamdem quoque Plinius *o*, terræ cum aqua commixtionis neceſſitatem eleganter tradit. Tale quod ſcripſit Ovidius *p*.

m *Tom.* 3. *q.* 111. Toti terræ aqua ſubjacens. n *c.* 38. 38. o *l.* 2. *c.* 65. p 1. *Meta.* De terræ fundatione travita.

*Denſior his tellus; elementaque grandia traxit,*
*Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor*
*Ultima poſſedit, ſolidumque coercuit orbem.*

Opinionem Thaletis, quòd ſuper aquam terra jaceat, ibique quieſcat: quemadmodum lignum aut quidpiam aliud tale natat, refellit Ariſtoteles *q*, & Seneca *r*. Hic illum vetuſtum philoſophum refert etiam dixiſſe mobilitate aquæ terram fluctuare tunc quum tremere dicitur. Terra propriè ipſa per ſe ſtat, & fundata eſt *ſuper nihilum* ſ, nec aliæ columnæ ejus, quas confirmavit Deus *t*, quàm vis ac potentia Dei eam continens, conſervanſque, ut Damaſcenus *u* docet: quod aliter David *x* ait fundari *ſuper ſtabilitatem ſuam*, & Salomon *y*, *ſapientia Dei*, ut Hieron. *z* obſervat. Figmenta ſunt quæ Plato *a*, ſcribit de cauſſis cur terræ moles in medio ſita univerſi & æquis circumquaque ſpatiis à cœlo circumducta, æquilibris ita ſit, ut ſine fulcro, non cadat. Meliùs is quem laudavi Poeta, philoſophatus eſt, *ponderibus libratam ſuis* canens. Quocirca montes, qui extant etiam ſuper aerem contentum in cavitatibus convallium nec aeri innituntur, nec aquæ, ſed terræ inferiori verſus centrum, & hæc centrumque per ſe abſque fundamento alio.

q 2. *de cælo c.* 13. *t.* 78. Mobilitate aquæ terra fluctans credita cũ tremere dicitur. r 3. *q. nat. c.* 13. *l.* 6. *c.* 6. Damaſceni recta ſententia. ſ *Job* 26. 7. t *Pſ.* 74. 4. Figmenta Platonis. u *Pr.* 10. 3. 5. x *l.* 2. *c.* 10. y *Prov.* 3. 19. z *in Iſ. c.* 13. a *in Phæd.* An aquæ terra eminentiores ſint.

Quærunt hoc etiam tempore, poſtquam Deus aquis terram diſcooperuit, an aquæ eminentiores terra ſint. Communior ſententia habet, aquæ centrum eſſe idem cum centro terræ, ac nunc quoque naturaliter ad illud centrum delabi, nec reliqua terra elevationem eſſe à centro prædicto. Quare Procopius *b* perperam hinc intulit terram hac ſolùm parte, quæ verſus nos eſt, aquis eſſe diſcoopertam; ex alia parte omnino aquis immerſam, ita ut nulli Antipodes exiſtant. Hoc quidem etiam videtur Auguſt. *c* tradere. Sed repugnat navigationibus noſtri penè ſæculi Hiſpanorum. Legendi Geneſis *d* exploratores, & S. Thomas *e* cum ſuis; noſter præterea Molina Tractatu de Opere ſex dierum *f*, & Conimbricenſes in ſecundo de Cœlo *g*, & Pererius in Geneſin *h*, & Clavius in Sphæram, & Aſcanius Martinengus in Gloſſa Magna in caput primum Geneſis.

Procopii improbata ſententia. b *in c.* 1. *Gen.* Antipodes qui negent exiſtere. c 16. *de Civ. c.* 9. d *c.* 1. e 1. *Par. q.* 69. *a.* 1. *ad.* 2. f *Diſp.* 11. g *Quæſt.* 4. h *l.* 1. *v.* 10.

Quod alicubi ſcribitur *i*: *ſuper montes ſtabunt aquæ*, vel pro, ſteterunt, eſt, priuſquam videl. ſegregarentur: vel procelloſos fluctus denotat, quum aſcendunt uſque ad cœlos *k*, i. e. valde altè, vel imbres generatos in media aeris regione: vel ad ſcaturigines fontium in excelſis montium jugis pertinet. Egregiè Chryſoſtomus *l* amplificat potentiam Dei hanc in re: ſed videtur ſentire revera ab aquis terram totam ferri, quod alii opinati ſunt, & antea retuli. Hac ipſa de re nos, præter philoſophicas diſputationes, nonnihil diximus Commentario poſterioris Epiſtolæ Petri *m*, quum ait: *Cæli erant priùs, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo*.

i *Pſ.* 103. 6. k *Pſ.* 106. 26. l *Hom.* 10. *ad pop.* m *c.* 3. *v.* 5.

Myſtico ſenſu fundatur Eccleſiæ terra ſuper aquas maris tribulationem, ut hoc loco Auguſtinus, aliique Latini, & Didymus exponunt, & alibi Ambroſius *n*: ac ſuper aquas fluminum divinorum Chariſmatum, puro in Deum undique fonte decurrendo. Super has tribulationum aquas Ambroſius vult nos exilire ſuper piſces, ne opprimant ſæculi fluctus: ſi tempeſtas ſit, petere altum: ſi ſerenitas, ludere in fluctibus: ſi procella, cavere à ſcopuloſo littore, ne in rupem ferus æſtus illidat. Auguſtinus, flumina, quæ fluunt in mare, cupidos interpretatur homines labentes in ſæculum, quos Eccleſia ſuperat, quæ devictis per Dei gratiam cupiditatibus ſæcularibus ad recipiendam immortalitatis claritatem parata eſt. Idcirco neceſſaria anchora *o*.

Myſticus ſenſus. n 3. *Hex. c.* 1. *& l.* 5. *c.* 7. *& in Pſ.* 48. *& Ep.* 19. *edit. Rom. & Ep.* 32. o *Heb.* 6. 19.

*Quia.* ] Particulam iſtam omittit textus Græcus, Auguſtinus, Pſalterium Romanum, & Ambroſian. Sed extat Hebraicè, poniturque à Hieroymo.

*Super.* ] Significare, ut dixi, poteſt propè, juxta.

*Præparavit.* ] Hieron. *ſtabilivit*, quod etiam valet יְכוֹנְנֶהָ *jechonem* Sic autem crebrò exponit id verbum interpres verbo, *præparandi*. Aliquando jungit cum verbo *ædificandi* p: nonnumquam reddit *ſtabilire* q; *confirmare*, ſeu *firmare* r; *roborare* ſ. Id ſibi quoque vult *præparare montes in potentia* t, *montem in vertice montium* u, *veritatem* x, *egreſſum* y, *cœlos* z, *ſedem* a, *cogitationes* b, *ſermonem item firmitatis*, ita Hebræi nominant *c*, & *Spiritum rectum* d, quem Hieronymus ſtabilem: *calceatio* præterea *in præparationem Evangelii pacis* e, eſt in confirmationem, ac defenſionem ejus. Quare non placet Euthymius hoc loco *præparare* eſſe pro ornare, ἡτοίμασεν pro ἐκόσμησεν

p *Hab.* 2. 12. *Pſ.* 88. 3. q 1. *Reg.* 5. 20. 31. r *Reg.* 5. 12. *c.* 7. 12. *l.* 7. 2. 12. *c.* 3. 1. ſ *Prov.* 24. 3. t *Pſ.* 64. 7. u *Iſa.* 2. 2. *Mich.* 4. 1. x *Pſ.* 88. 3. y *Oſee* 6. 3. z *Prov.* 8. 27. a *Pſ.* 92. 2. b 1. *Reg.* 2. 3. c *Gen* 41. 32. d *Pſ.* 50. 12. e *Eph.* 6. 15.

---

*Verſ. 4.)* Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

QUum ſit adeo ſuperficies tota terræ pulchra, ita ut inde quoque κόσμος hic etiam dicatur inferior mundus: quantò pulchiora quæ conſpici meliùs ex alto monte poſſunt, nempe cœlum ſideraque? Quum tam ampla ditio Dei per univerſam terram, quam calcant omnes, ſed & peculiarem ſibi locum in monte delegerit, in quo ritu colatur peculiari, quis ut eò ad colendum eum, aſcendat, ſatis idoneus? Eritne de tanto numero incolentium latiſſimè patentem terram iſtam dignus aliquis, ad eum locum excelſum aſcendere, ubi magis propriè inhabitare cenſetur Deus, ſeſe manifeſtando Beatis? Non ſufficit fide profiteri Deum, dominum univerſæ terræ, ut ad cœleſtem pervenias Beatorum ſedem: operibus opus eſt, vitæque innocentia, quod ſequenti docetur verſu. *Aſcenſus* præterea *in montem*, juxta myſticum ſenſum, ſumitur de prefectione juſtitiæ aut contemplationis intra Eccleſiam, de prefectione ſtatus, de preſeverantia.

Myſticus ſenſus.

Ultimus hic traditur ab Origene modus, ab Auguſtino, Hieronymo, Clemente Alexandrino *a*, aliis. Secundus eſt Lyrani, tertius Baſilii, Theodoreti, Nicephori, Auctoris *b* quæſtionum utriuſq; Teſtamenti, qui magis illud clarè tradit de operum ultra fidem neceſſitate. Euthymius recitans tertium & ultimum, ut ſit *mons* virtutum ſublimitas, quas Dominus in Evangelio *c* juſſit obſervari, *locus ſanctus*, regnum promiſſum: vel, *mons*, Theologia ſublimis de Chriſto, rectorumque morum, ac divinæ incarnationis ſcientia; præfert primum, ſed accommodatè ad Eccleſiam, exiſtimat prædictionem eſſe de ſacerdotibus, atque deſcriptionem quales eos eſſe oporteat: *montem Domini* deſignare quodlibet templum, ob loci excellentiam, conſpicuamque omnibus claritatem, & quia adverſis undique flatibus inimicorum Fidei circumflatur: *Locum ſanctum*, altare, quod in conſpectu Dei eſt. De cœlo, & Eccleſia ſub templi typo, intelligendus David, quemadmodum Pſalmo decimo quarto, in quo eadem quæſtio ferè proponitur.



a 6. *Strom. c.* 5. b *q.* 111 *quæ Aug. to.* 4. c *Mat.* 5. 2. *& ſeq.*

De Eccleſia intellexit quoque Cyprianus *d* Auctor *e* operis imperfecti: De cœlo Cyrillus *f* Alexandrinus, Procopius *g*. Bernardus hìc integrum de Pſalmi loco iſto ſermonem conficit, ubi montem montium nominat habentem fundamento in montibus *h*, præparetum in vertice eorum *i*: fundatum exaltatione univerſæ terræ *k*. Addit acceptiones alias pro Chriſto, & pro Diabolo. Alio loco *l*, exponit etiam de monte perfectionis. De cruce ipſa Chriſti accipit idem Cyprianus, aut alius Auctor libri de Montibus Sina, & Sion: De Chriſto Procopius *m*. Teſtatur autem Burgenſis *n*, ab Hebræis ipſis hunc, ſimileſq; locus accipi de Beatitudine. Certè quum temporalia Deus fecerit propter hominem, ut Irenæus *o* ſcribit, ut matureſcens in eis frutificet immortalitatem, tectà intelligimus, hoc, & aliis ejuſmodi locis Davidem à temporalibus ad æterna bona ſermonem transferre. Auctor Quæſtionem utriuſque Teſtamenti, de confeſſione quoque cum Chriſto in die judicii explicat, ad judicandum.

d 2. *con. Jud. c.* 18. e *Hom.* 21. *in Matthæ.* f 3. *in Joan. c.* 20. g *in Iſa. c.* 57. h *Pſ.* 86. 2. i *Iſa.* 2. 2. k *Pſ.* 47. 3. l *Serm.* 85. *in Cant.* m *in Exod. non longè à fine.* n 1 *p Scrut.* 4. *diſt.* 4. *c.* 4. *l.* 4. *c.* 10. o 1. *de Pæn. c.* 8. Novatianus loco Regũ abutens.

*Quis.* ] Indicat hæc interrogatio raró tales reperiri qui in hunc montem aſcendant, ut idem Procopius notat. Ambroſius *p* verò reſpondens Novatiano abutenti loco illo *q*: *Quis orabit pro eo?* quaſi pro quibuſdam peccatoribus orari non deberet, obſervat, iſta particula potiùs aliquem denotari, qui poſſit orare ſicut, & hoc loco, qui valeat aſcendere. Sed vitæ egregiæ, ſingulariſque meriti, non quæcumque de vulgo, nec plebejæ vilitatis aliquem Confirmati id aliis exemplis. Eadem annotatio Hieronymi, *quis*, poni pro raritate *r*, qui locum Proverbiorum *ſ* tractans, notat multos habere mundum cor, quia multi aſcendent in montem Domini: ſed ibi ſcribi: *Quis poteſt dicere*, non autem, quis poteſt habere, quia nemo ſcit ſe habere, nemo pronuntiare de ſe debet.

p *Reg.* 2. 25. q *Quis* poſitum pro raritate. r *in c.* 20 *Prov.* ſ *ibid.* 9.

*Aſcendet in montem Domini.* ] Alludit ad Moſen *t*, Loth *u*, Jacob *x*, Eliam *y*, Abraham *z*, qui ad montes à Deo invitati, & vocatique ſunt, ut eo familiariùs uterentur. Sic Auctor *a* quæſtionum utriuſq; Teſtamenti, & amaſſe Chriſtum montes conſtat.

t *Exo.* 19. 20. 24. 31. *alibi* u *Gen.* 19. x *Gen.* 31. 11. y 3. *Reg.* 19. 8. z *Gen.* 22. 2. a *Q.* 111.

*Aut.*) Hebraicè eſt conjunctio ) *ve*. Sed ſignificat quoque interdum idem quod, *aut*: quam etiam particulam habet Arabicum Pſalterium.

Hieronymum in editione Victorii legit, *&*: quo item pacto Cyprianus *b* quodam loco, ſed & hic alibi *c* habet, *aut*, & Hieronymus apud Trevetum, & in Bibliis Regiis.

b 2. *con. Jud. c.* 18. c *de Sina, & Sion.*

*Stabit in loco.*) Elegans in Hebr. pronomaſia מקום במקום *jakum bimkom*. Innuitur perſeverans manſio, & unum de Dei nominibus. Apud Hebræos eſt מקום *makom*, quia eſt locus mundi, non hìc locus illius, quemadmodum, & מעון *mahhon*, h. e. *habitaculum*. *Magna domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus* d tam latè videlicet patens, quàm ſpatia rebus plena, & infinities alia infinita, quæ animo fingimus, quæ nobis replere poſſet Deus, & intra ſuam infinitam complecti capacitatem eſſentiæ, præſentiæ, potentiæ. Proprio magis modo locus Beatorum ipſemet Deus eſt: quia in beata illa civitate Joannes *e* negat vidiſſe templum; Dominum enim Deum omnipotentem templum illius eſſe, & Agnum, in quos nimirum tota Beati immediatè elevantur mente ſine adminiculo materialis templi.

d *Baruch* 3. 24. e *Ap.* 21. 22.

*Verſ. 5.*] Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

HÆc ſunt conditiones quatuor aſcenſuro in montem Domini, locumq; Sanctum ejus, ac in ipſam beatitudinem, neceſſariæ: nihil malè patrare: nihil mali cogitare: non fruſtra animam accepiſſe: vel non contentum eſſe nec malè facere, nec malè cogitare, ſed præterea bona facere atque cogitare, quæ requiruntur ad adeptionem beatitudinis: poſtremò, abſtinere à doloſo juramento, quo Deus ſimul, & Proximus læditur verbis, & per quod de ceteris peccatis æſtimari poteſt, quæ per inſtrumentum linguæ committuntur.

Quatuor conditiones neceſſariæ aſcenſuro in montem Domini.

Ergo dignus aſcenſione in cæleſtem felicitatem debet omni ex parte perfectus eſſe, ut neque opere, neque corde, neque voce dereliquerit unquam; contrà verò fecerit omnia bona, quæ pertinebant ad officium ipſius. Unus Chriſtus qui numquam peccavit, vel contraxit peccatum, vel contrahendi debitum habuit, & idcirco *nemo aſcendit* ſuo mero jure *in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cœlo* f: totus *de cœlo cœleſtis* g: *Sanctus, innocens, impolutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cœlis factus* h, i. e. omni ſanctitate, quam cœli habent incolæ, & ſuper omnes aſcendens cœlos *i* poſt reſurrectionem.

f *Joa.* 3. 13. g 2. *Cor* 15. 47. h *Heb.* 7. 26. i *Eph.* 4. 10.

Nihilominus per merita ejuſdem Chriſti, qui de terra terreni erant, ideſt, de primo parente peccatores, facti ſunt de cœlo, h. e. de cœleſti illo lumine, cœleſtes *k* capaces regni cœleſtis denique *generatio quærentium Dominum, &, faciem Dei Jacob*: ut ſtatim hic ſubditur: Ad hunc modum piè copioſèque Bernardus illo ſermone, quo Pſalmum integrum tractat. Aliter alii, ut mox etiam ipſi annotabimus. Conſuli autem poteſt expoſitio Pſalmi decimi quarti, qui magnam habet affinitatem cum præſenti.

k 1. *Cor.* 15. 47.

*Innocens manibus, & mundo corde*] Dixi, operum, & cogitationum ſignificari munditiam. His duabus partibus Nyſſenus *l*, ait omnem juſtitiam comprehendi. *Manus* opera ſignificare compertum eſt, docetq; Auguſt. *m* alibi, & hoc loco Baſilius, Theodoretus, Euthymius, alii. Per *cor* cogitationes accipi æquæ notum. Poſſunt etiam his duobus opera bona intelligi, ſincerè, & ex animo facta, ne ſint manus plenæ ſanguine *n*, fraudis, rapinæ, homicidii, avaritiæ; ſe cor juſtificatum, ac lavatæ inter innocentes manus *o*, ut in mente orthodoxæ ſint de Deo ſententiæ: opera juſta in manibus. Abimelech *p* purgabat ſe apud Deum, animi prius, deinde facti defendens innocentiam: *In ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc*. Sed & innocens peculiariter eſt, qui manus habet caſtas, mundaſque à munere, à rapina, & injuſtitia, ut explicat Eugubinus.

l *Orat. de Aſcenſione.* m *Ep.* 119. 14. n *Iſa.* 1. 15. o *Pſ.* 72. 13. p *Gen.* 20. 5. Diſtinctio inter mundum & rectum corde.

Diſtinguit idem Auguſtinus *q*, aliquando inter mundum, & rectum corde. *Rectus corde*, inquit, in ea, quæ antè ſunt, extenditur, & ea quæ retro ſunt obliviſcitur *r*, ut recto curſu, ideſt, recta fide atque intentione, perveniat, ubi habitat *mundus corde*; ſicut illa ſingula reddenda ſingulis, ubi dictum eſt *Quis aſcendet in montem Domini, aut qui ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde*: innocens manibus aſcendet, mundus corde ſtabit: illud in opere eſt; iſtud in fide.

q *lib. de Perfect. juſtitiæ c.* 15. r *Phil.* 3. 13.

Videtur quoque Scriptura mundis corde promittere viſione Dei *ſ*: rectis corde beneficium gratiæ in hac vita *t*: *Benefac Domine bonis, & rectis corde*: *Quam* u *bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde*! Cum his conferri poſſunt quos Caſſianus *x* nominat ἀκέραιον, & ἄκρον, *continentem, & integrum*. Baſilius *y* definit *mundum corde*, qui ſeipſum non reprehendit, quod Dei mandatum aut ſpreverit, aut plenè executus non ſit, aut neglexerit.

ſ *Mat.* 5. 8. t *Pſ.* 124. 4. u *Pſ* 72. 1. x 6. *de Inſt. c.* 4. y 1. *Reg* 2. 50. *ex brevib.*

Nihilominus confunduntur interdum *rectus munduſque corde*. Ad hoc verò, & ad innocentiam manuum, non requiritur numquam peccati maculas contraxiſſe, nec alium læſiſſe: quod ſoli convenit Chriſto, de quo præter citatum Bernardum explicat Cyprianus *z* hunc locum, ſcribens illum dextera lævaque extenſis, clavis fixis in monte, ideſt, in cruce, innocentiam demonſtraviſſe. Moſen, quem Chriſto malè quidam proponunt, talem non fuiſſe, quia Ægyptium calce per-

Rectus & mundum corde confundi ſolita interdũ. z *De Sina & Sion.*

percuſſit, occidit, manibus in arena obruit *a*. Sufficit à peccato mundum eſſe tunc, quum aſcendendum eſt in cœlum: quæ non abſoluta quidem innocentia dici poteſt, vera tamen, & perfecta, quantum opus eſt ad beatitudinis conſecutionem: juſtitia, munditia, & ſanctitas. Hinc Sapiens *b*: *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Nec aliud per *beatos mundos corde* c, Chriſtus voluit, promittens viſionem Dei, niſi qui non externis ſolis, aut fictis, ut Judæi ſæpè propterea reprehenſi, ſed internis quoque, & revera bonis vacant operibus, atque ſanctimoniæ, *ſine qua nemo videbit Deum* d: nam caſti, quos ibi quidam intelligunt, poſſunt aliquo mortali peccato eſſe inquinati, cum quo certè non videbunt Deum: & hæc Matthæi communior expoſitio, non vel de caſtitate, vel ſimplicitate. Tertull. *e* recitando præſentem locum hoc pacto, *innocens, & purus corde*, omiſit, *manibus*.

*Qui non accepit in vano animam ſuam.*] Tertull. idem citans, *Qui non accepit in vanum nomen Domini*, lapſus memoria videntur, aut alluſiſſe ad locum Exodi *f*: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Chald. hoc loco: *Qui non juravit in vanum, vel ſuper falſo, ad damnationem animæ ſuæ.*

Hæbræa ultima dictio in quibuſdam codicibus, & à non nullis Hebræis legitur cum pronomine paragogico primæ perſonæ נַפְשִׁי *naphſchi*, ab aliis libris, & Auctoribus, cum pronomine tertiæ נַפְשׁוֹ *naphſcho*. Priore modo dicunt loqui Deum quaſi dicat, Aſcendet in montem meum, locumq; ſanctum, qui non accepit in vano animam meam, hoc eſt, ut citato Exodi loco habetur, non aſſumpſit nomen meum in vanum, fruſtrà ac temerè jurando. Confirmat Vatablus teſtimoniis illis, quibus Deus ipſe jurare dicitur *per animam ſuam g*, vel *in anima ſua h*, juxta poſteriorem lectionem, quæ longè communior eſt; placetque Rabbi Eliæ *i*, aſſerenti errare, qui priore legant modo. Si pronomen, *ſuam*, non reciprocè, ſed pro, *ejus*, in tertia perſona ſumatur, ſimilis efficietur ſenſus; ſed loquente, vate, non Deo, de illo qui non accepit in vano animam Dei.

Cajetanus propter pronomen, *meam*, teſtatur ſe coactum ad intelligendum hæc verba de Meſſia, exponitque: Qui non accepit fruſtra animam meam poſitam pro mundo in cruce, nec eſt *ſcandalizatus in me k*. Non diſplicet hæc expoſitio Adrian. Lametio. In Græcis, ὃς οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, pronomen αὐτοῦ poteſt eſſe perſonæ tum tertiæ, tum primæ, tertiæ verò vel abſolutè, vel reciprocè. Sed Hieronymo credendum, reddenti quoque, *ſuam* licèt vertat, *qui non exaltavit fruſtra animam ſuam*, quod, & ſi aliquando ſumatur non reciprocè, ſed abſolutè pro, *ejus*, tamen reciprocè idem in Commentario, ac reliqui Latini Græcique intellexerunt. Præterea non legimus alibi pro eo quod eſt jurare falsò, *animam accipere*, ſive *ſumere in vanum*. Denique de juramento ſequens verſus agit. Quare *non accipere in vano animam ſuam*, non eſt jurare vanè, ac temerè per animam ſuam: ut videtur tamen Janſenio. Agathio Guidacero, Antonio Agellio, & Prado, qui *l* confirmat Hiſpaniſmo *levantar falſo teſtimonio*, & addi poteſt, quum Paulus *m* teſtem invocabat Deum in animam ſuam, & veteres, quum *vivit Dominus*, & *vivit anima tua* n: nec ut etiam videtur Maldonato *o*, jurare falſum per Deum viventem: quod item ait Pineda *p*, & Clarius: ſed *Non accepit in vano animam ſuam* qui res has vanas, & caducas nimis, avarè non concupivit, ſeù qui meminit ſe non eam à Deo accepiſſe, ut hujuſmodi res pertractaret:

Οὔποτε μὰψ ἰδ' ἰοσιν ἑὸν νόον ἢ προπεύσας.

*Numquam vanis animum ſuum decipiens.*

Sic Apollinarius, Græciq; ferè ceteri. Vel qui anima ſua, quæ ad bona opera fuit creata, ad prava uſus non eſt: quemadmodum legem fruſtra dicitur accepiſſe, ait Didymus, qui contra quam ab ipſa edoctus eſt facit. Huc illa Pauli *q* facit exhortatio; *Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus*: Gregorius *r* præterea *accipere in vano animam ſuam* dicit, qui ſola præſentia cogitans, quæ ſequantur in perpetuum non attendit: qui vitam animæ negligens, ei curam carnis anteponit: non accipere, qui intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur; & traſeunte opere, ope-

a Eccl. 2. 11
b Pro. 20. 9
c Mat. 5. 8.
d Heb. 12. 14
*Loci Matthæi expoſitio.*
e 2. con. Mar. c. 19
f Ex. 20. 5.
g Jer. 51. 14
h Amos 6. 8
i Ad Radices Rab. Kimhi.
k Matt. 11. 6
l Ezec. c. 12. 20
m 2. Cor. 1. 23
n 4. Reg. 26 & alibi.
o in Mat. c. 5. 23
p In Job. c. 26. 4
*Autoris, hujus loci interpretatio.*
q 2. Cor. 6. 1.
r 7. Mor. c. 13

A ris cauſſa non tranſeunt; quæ vitæ præmia poſt vitam parat. *Quomodo non fruſtra humanam accipit homo animam*; inquit Bernardus *ſ*, *qui tamquam unum ex irrationabilibus animantibus, incubans corporeis voluptatibus, ſolum ſequitur carnis appetitum?*

Ambroſius *t* legens. *Qui non accepit in vanum animam ſuam*, hoc illum facere ait, qui ſæcularia ſtruit, ædificat corporalia *u*. Auctor utriuſque Teſtamenti quæſtionum docet *non accipere in vano animam ſuam*, qui à fornicatione idolatriæ immunis eſt. Sola namque Idola vana dici. Ex Hieronymi verſione, *Qui non exaltavit fruſtra animam ſuam*, colligitur ſenſus novus, quem tradit Trevetus, de illo; qui vanam quam vocant gloriam non quærat, ſive jactantiam, ſuperbiamque, ſed fugiat & execretur. Significat נשא *naſa* inter alia, *exaltare*, attollere, elevare, ſed etiam capere, accipere, ſumere, &c. præterea comburere, quaſi dicat David. Qui non combuſſit animam ſuam fruſtra, ideſt, non acquiſivit ſibi gehennam; abutendo anima ſua.

Bernardus *x* explicans de Chriſto *non accepiſſe in va*-B*no animam ſuam*, quia ſolus poteſtatem habuit *ponendi animam ſuam*, & iterum reſumendi *y*: non in vano accepiſſe naſcendo, non in vano potuiſſe moriendo, non in vano recipiſſe reſurgendo.

Perſequitur hunc de Chriſto ſenſum copioſè Jacobus de Valentia, volens, Davidem reſpectum in toto Pſalmo habuiſſe ad ſcalam Jacob *z*, quæ deſignaret incarnationem Chriſti tangentis Divinitatis cœlum, & terram Humanitatis, benedictionem accepiſſe, ac præripuiſſe, ſicut Jacob *a*; & à Deo adversùs quem prævaluerat, extorſiſſe *b*. Idem Bernardus *c* triplicem obſervat aſcenſum, gradumve aſcendendi; innocentiam operis, munditiam cordis, fructum ædificationis. Idem *d* ſcribit: *Qui non habet innocentiam manuum: & munditiam cordis, quam docet pietas, quæ eſt cultus Dei, in vano accepiſſe animam ſuam*, hoc eſt, *fruſtra vivere, vel omnino non vivere, dum non vivit ea vita; propter quam ut in ea viveret, accepit animam ſuam.*

*In vano.* Ἐπὶ ματαίῳ, Lege Pſalmum quartum; ubi vanitas eſt ריק *rik*, & ματαιότης. Hoc loco habetur Hebraicè שוא *ſchave*, quod ſignificat *otioſum*, ſuper-C vacaneum, riduculum, caſſum minuſque ſolidum. In libro Job *e* quod Latinè legimus: *Si ambulavit in vanitate*, Hebraicè eſt, שוא שום *hhim ſchave*, Græcè, μετὰ γελοιαστῶν *cum irriſoribus*, hoc eſt, ut ibidem Nicetas declarat, qui riſum excitant: ut Julianus, qui comeſſationibus ac ebrietatibus vacant: ut Olympidorus, cum ſcurris. Pertinent hi ad certam unam formam vanitatis, cujus amplum genus voces Hebræa, Græca, Latina; comprehendunt.

*Nec juravit in dolo proximo ſuo*) De re ipſa dictum Pſalmo decimo quarto *f*, & Bernardus de Chriſto exponit, qui fuerit in promiſſis fidelis. Vocabulum *proximi* deeſt in Hebræo Chaldæo que textu. Tertull. *g*: *& non juravit ad proximum ſuum in dolo.* Cyprianus *h*; *& non juravit ſubdole proximo ſibi*; vel *ſuo*. Obſervat Pamelius in aliquibus codicibus Tertulliani lectum *intravit*, pro *juravit*. Contempſi notationem, donec deprehendi Cajetanum ita quoque interpretantem: non *intravit ad dolum*, refragante procul dubio Hebræo verbo. De Dei nomine in vanum ſumendo, ſeù, D de non falſum juramentum uſurpando, præſertim cum dolo, lege Platonem *i*, & quæ colligit de hoc argumento ex aliis Petrus Gregorius *k*. Solent improbi lucri cauſa facilè pejorare; ita ut Laberius apud Feſtum cognominarit jusjurandum, *emplaſtrum æris alieni*; & Plautus *l* dixerit.

*Jusjurandum rei ſervandæ non perdendæ conditum eſt.*

Et apud eumdem *m* quidam, dicenti,

*Perjuraſti ſceleſte*,

reſpondeat,

*At argentum intro condidi*,

Ludus hic nonnullis eſt, ſicut quondam Græcis, teſte Tullio; & Lyſander vel Dionyſius viros jurejurando, ut aſtragalis pueros, fallendos, Plutarco *n* teſte dictitabat.

ſ In Pſ. 25
t De bono mortis c. 7
u Qu. 112.
x Supra.
y Jo. 10. 17 & 18.
z Gen. 28. 12
a Gen. 20. 18. 28.
b Inf. 32. 26 29
*Triplex in monte Domini aſcenſus à S. Bernardo obſervatus.*
c Ser. 18. ex parvis.
d Ser. ad fratres de Monte Dei, c. 31. 5.
f verſ. 5.
g 2. con. Marcic. 19.
h 2. con. Jud. c. 18. & de Sin. & Sion
*Pameli obſervatio. Lectionis diſcrepantia.*
i l. 11. de leg.
k l. 50. ſynt. cap. 10.
l In Rudente ſec. ult.
*Emplaſtrũ æris alieni jusjurandũ.*
m in Pſeud. ſcen. 1
*Lyſandri vel Dionyſ. nefarium dictum.*
n In apophth. & de fort. Alex.





*Verſ.* 6. Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

ENumeratis ornatus conditionibus, accipiet copioſa bona. Id Chriſto etiam convenit, qui ſibi quidem corporis gloriam, nominiſque meruit exaltationem *a*: ſed aliis animæ ſalutem, atque beatitudinem. Ita vero, nempe dum hæc meruit corpori ſuo, quod eſt Eccleſia *b*, poteſt Deus vocari ſalutaris; & Salvator Chriſti, & Chriſtus dici poteſt miſericordiam conſequi: nam licèt juſti mereantur de condigno vitam æternam; merita tamen eorum ex miſericordia Dei oriuntur, propriè que dona Dei dicuntur, & ſunt, & cum Chriſto ipſo debuit intercedere pactum Dei, ut per merita conſequeretur ſibi dicta bona, & nobis noſtra. Sic gratia Dei vocatur *vita æterna c*, & coronat Deus *in miſericordia, & miſerationibus* d. Hoc omnes ferè notant, illud etiam Caſſiodorus, nihil referre præpoſterum ordinem, ut prior numeretur benedictio, quam miſericordia: aliàs aut miſericordia nominetur priore loco; ut; *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis* e. Sæpius namque hac in re variari.

Bernardus porrò interpretans de Chriſto, ad eum quem diximus modum, obſervat unum hìc deſignari non in perſonæ ſingularitate, ſed in ſpiritus unitate, in more ſponſi, ac ſponſæ, qui efficiunt unum *f*, id ſibi velle, quod proximè poſt exprimitur, generatio multitudoque quærentium Dominum, & quod benedictionem daturus legislator ſcribitur, ita ut eant *de virtute in virtutem* g.

Accipiendo de aliis iſtis, hi ſummam illam accipient benedictionem in judicio, & miſericordiam maximam à Deo ſalutari, hoc eſt, à Jeſu, quando benignè illos appellans dicet *h*: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*, &c.

Videtur Campenſis quæ continentur hoc verſu inter ea ponere, quibus oporteat eſſe præditum qui velit *aſcendere in montem Domini*: videlicet qui hac fiducia ſit in Deum, ut benedictionem accipiat à Domino, & juſtitiam à Deo ſalutari ſuo, ideſt, non aliunde quàm ab ipſo quærat, accipiatque & hujus & futuræ bona vi-C tæ, quum alii confugiant ad malas artes, fraudes, prædationes, & alia. Melior, qui communior ſenſus. Poteſt item *accipere benedictionem & miſericordiam*, item eſſe, atque invenire gratiam, gratum, & gratioſum eſſe. Eſther dicitur *habuiſſe gratiam & miſericordiam coram Rege* i, quod Græcè eſt εὑρεῖν χάριν *invenire gratiam*: Hebraicè per verbum נשא *naſa*, quod hìc etiam extat; *accipere* חן וחסד *chen vachſed, gratiam & miſericordiam*.

*Hic.*) Οὗτος quod item pronomen extat in Arabico & Æthiopico Pſalterio, ſed non in Hebræo textu, & Chaldæo, neque in verſione Hieronymi.

*Accipiet benedictionem.*) Quid importet *benedictio*, dictum prioribus Pſalmis, nempe felicem actionis operiſque ac rei omnis eventum. Pollicitus eſt Abrahæ Deus futurum *benedictum* k: qui autem ex fide ſunt, benedicendos *cum fideli Abraham*, ſcripſit Paulus *l*. Benedictio eſt copia bonorum omnium: ut idcirco eadem voce ברכה *berachah*, ut aliàs dixi, *benedictio* dicatur, & *aquarum collectio*.

*A Domino.*) מאת יהוה *Meeth Johovah.* Arias vertens, *apud Deum*, vult indicari benedictionem filiorum Dei, obtineri ex Verbi Dei, hoc eſt, Chriſti, efficacitate, virtute, communicatione, ſive de verbo, *quod in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum* m. Valet quidem את, *eth*, idem, quod, *cum apud*, &c. Sed eſt quoque articulus præfigi ſolitus nominum caſibus, quo ſimpliciore ſecundo modo ceteri ſumunt. Agathius Guidacerius innui putat benedictionem, qua Chriſtus in aſcenſione *n*, de qua paullo poſt, elevatis manibus ſuis benedixit Diſcipulis.

*Miſericordiam.*) Ἐλεημοσύνης, cui reſpondent quoq; in Arabico ejuſdem n[illegible]s nomen, ſed Hebraicè & Chaldaicè eſt *juſtitia* צדקה *tſedakah* & צדקתא *tſidketah*, vertique *juſtitiam*. Hier. Juſtitia noſtra per Dei miſericordiam eſt, ut dixi, docetque Paulus *o*. Accipitur non raro in ſcripturis *juſtitia* pro bonitate ac miſericordia; ut *p*, *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi* q: *Videte ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Te*

a Phil. 2. 8 9. 10.
b Epheſ. 1. 23 Coloſſ. 1. 24
c Rom. 6. 23
d Pſ. 102. 4
e Pſ. 61. 2
f Gen. 2. 24. Matt. 19 5 Epheſ. 5. 31.
g Pſ. 83. 8
h Mat. 25. 34.
i Eſth. 2. 17
*Benedictio quid importet.*
k Gen. 12 2 3.
l Gal. 39
m Jo. 1. 1.
n Luc. ul. 50
o Eit. 3. 4. & ſeq.
*Juſtitia pro bonitate & miſericordia.*
p Pſ. 111. 9
q Mat. 6. 13



A *autem faciente eleemoſinam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Recognoſce quæ notata ſunt Pſalmo quarto *r*, & quinto *ſ*. In eadem notione *Sol juſtitiæ* nominari videtur *t*, qui ſuum benignè lumen, caloremque impertiat. Quo alluſit Joannis pater *u*: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto: Illuminare*, &c. Chriſtus quoque beneficentiam comprobavit exemplo eodem Solis, quem oriri ſuper omnes facit *x*.

*A Deo ſalutari ſuo.*) Hieron. *A Deo ſalutis ſuæ*, Tertullianus *y*, *A Deo ſalutificatore ſuo*, Græcè Σωτῆρος. Videntur alii, qui noſtram editionem ſectantur legiſſe Σωτηρίου. Hebraicè hic eſt ישעו *jiſchho*. Lege Pſalmo nono *z*. Chaldæum nomen hoc loco *Redemptorem* ſignificat פרקן *purkan*.

r verſ. 2
ſ verſ. 9.
t Mal. 4. 2.
u Luc. 1. 78 &c.
x Mat. 5. 45
y 2. contr. Marc. c. 19 verſ. 6.

---

*Verſ.* 7.) Hæc eſt generatio quærentium eum; quærentium faciem Dei Jacob.

B QUem antea numero unius deſcripſit idoneum ad montem Domini aſcendendum, eumdem collectivo nunc vocabulo, quod plures comprehendit, appellat. Dicit autem iſtam eſſe generationem hominum regeneratorum in Chriſto, quorum cura præcipua ſtudiumq; quærere Deum, ad Dei videndam faciem anhelare: totis viribus contendere ad illum Domini montem: quæ eſt potiſſima prædeſtinationis nota, qua filii, & amatores hujus ſæculi, qui, ſi daretur optio; mallent in hoc ſæculo vivere, ſine dubio carent. Iſtorum prava perverſaque generatio eſt, à qua ſervari, & cuſtodiri precabatur David Pſalmo undecimo *a*.

*Hæc eſt generatio.*) Poteſt, ut ibi alibique docui, *generatio* ſæculum ætatemve, aut homines tali viventes ætate, ac ſæculo, ſignificare. Utrumque propoſito ſervit. Vult dicere: eos, de quibus egit, pertinere ad illud tempus ac hominum genus, qui quærant Dominum peculiari magis modo inter homines commorantem. Id tempori populoq; Chriſtiano maximè convenit poſt C incarnationem Dei, & ſubſtantialem moram, præſentiamque incarnati Dei in Euchariſtia. Scripſit integrum ſuper hoc verſiculo ſermonem ad Fratres Bernardus. Diſtinguit generationes tres; primam, quæ nec adhuc quærit Dominum, nec quæſita fuit à Domino; ſcilicet qui nondum baptizati ſunt, & in originali verſantur peccato, atque in actuali forſitan, ſi ſunt adulti: ſecundam, quæſitorum à Domino per baptiſmi regenerationem; ſed non quærentium: tertiam etiam quærentium, ſive per bona opera non amittendo gratiam regenerationis primæ, ſive per eadem recuperando amiſſam baptiſmalem gratiam: aut etiam aliam pluries perditam. Ultimam iſtam ait eſſe illorum quos voluntariè genuit Deus *verbo veritatis* a, hoc eſt per voluntatis propriæ cooperationem. Sed quartam indicat quærentium quem jam habent Dominum, immò negat propriè quæri à non habentibus, licèt haberi poſſit à non quærentibus. Sed *habere* intelligit non ſecundum habitualem gratiam dumtaxat; verum ſecundum auxilium gratiæ prævenientis, quo trahit Deus ad ſe. De D his in alio Pſalmo: *Lætetur cor quærentium Dominum* b, & *Lætentur in te, qui quærunt te* c. Denique & quintam innuit ſextamque: illam quorumlibet juſtorum, iſtam Religioſorum qui pro vitæ inſtituto ardentiùs ac propiùs Deum quærunt, & ea quæ ſurſum ſunt non quæ ſuper terram *d*: non conſiderando *quæ videntur, ſed quæ non videntur* e: obliviſcendo *quæ retro ſunt*, & ſe *in anteriora* extendendo *f*: poſtremo qui in carne Angelicam vivunt vitam, & *g lætatur cor* eorum *quærentium Dominum*, ita ut quærendo confirmentur, quærantque faciem ejus ſemper, & illi obediant, qui præcipit: *Si quæritis, quærite* h, nempe *in ſimplicitate cordis* i, hoc eſt, ſincerè, perfectè, veraciter, frequenter, perſeveranter, ut nec pro illo quærant aliud, nec cum illo aliud: nec ab illo ad aliud convertantur: quia *vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis k* Hæc ſumma pii elegantiſque ſermonis.

*Quærentium eum.*) Sic etiam Hebraicè, & Chaldaicè, & Hieronymus, & Pſalterium Æthiopicum, & Cyprianus *l*, qui ſic legit - *Iſta nativitas eorum, qui eum quærunt, qui quærunt faciem Dei Jacob.* In aliis codi-

a Jac. 1. 18
b Pſ. 104. 3
c Pſ. 69. 5
d Coloſſ. 3. 2
e 2. Cor. 4 18.
f Phil. 3. 13
g Pſ. 104. 3.
h Iſa. 21. 12.
i Sap. 1. 1
k Jac. 1. 8
l lib. 2. c. 29.